



Universitätsbibliothek Paderborn

Thesavrvs Casvum Conscientiæ

Continens Praxim exactissimam De Censvris Ecclesiasticis, Aliisque Poenis, & Canonicis impedimentis, in Septem Libros distributus ...

Decisiones Casvum Conscientiæ Ex Doctrina Consiliorvm Martini Ab Azpilcveta Doctoris Nauarri collectæ, & iuxta librorum iuris Canonici dispositionem in suos Titulos distributæ

Sayer, Gregory

Venetiis, 1627

5 Pueri praefecti coquinae de mandato eius amicis deferendo, nisi desistant absolui non possunt.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13903

DECISIO V.

Ex cons. 5. alias 3.

P Veri Praefecti coquinae de mandato eius aliqua comestibilia alicuius valoris amicis suis deferentes, qui credunt, vel credere debent, Praefectum suum illa donaria mittendo peccare mortaliter, ipsi etiam ea deferendo peccant; & non nisi deficiant, absolviendi sunt, etiamsi non deferendo de domo eijcerentur. ex Nauar. in Man. cap. 17. num. 19. & cap. 24. num. 31.

DECISIO VI.

Ex cons. 6. alias 2.

P Rocurator Magnaris conventionem cum pistore, & lanino faciens, quod ipse accipiet pretio currente panem & carnes necessarias pro domo Domini sui, si pistor, & lanus ei pecunias singulis mensibus dent; licet pecunias illas sibi lucrari potest, cum exinde nihil damni Domino accedat, & ipse operas & industrias suas adhibeat.

DECISIO VII.

Ex cons. 7. alias 4.

M Vlio bona fide res de loco ad locum portans, si in via cognoscat res illas furto esse sublatas, satisfacit saltem quoad forum conscientiae suae, si illas vel personae, cui reddere promiserat, vel ei, qui eas sibi commendauit, reddat monendo tamen eos de illicita bonorum illorum retentione. ita Sotus. l. 4. de iust. q. 7. art. 1. & Nau. in Man. capit. 17. num. 29.

DECISIO VIII.

Q Vi bona alicuius furatur, & postea poenitentia ductus ea alteri dat, vt ea restituat, & ipse intra domum veri domini illa secreto reponit, ita tamen vt ad verum Dominum non perueniant; uterque ad restitutionem tenetur: Quia restitutio requirit, vt res in pristinum statum reponatur; furtum autem in statu, in quo erat, non censetur repositum, donec ad suum Dominum perueniat: unde cum in casu proposito res per talem protectionem in potestatem veri Domini carum non venerint, neuter carum ab obligatione restitutionis excusatur.

TITVLVS XIII.

De Usuris.

SVMMARIVM.

- 1 Cambium, quod licitum, & illicitum iudicandum.
- 2 Interesse ex lite proueniens ob debitum non solum iuste petitur.
- 3 Promissio usuras soluendi non obligat, nisi sit iurata.
- 4 Contractus mutui, cum clausula, teneatur ad aliquid propter moram, licitus est.
- 5 Fructus rei venditae pro pretio non soluto ex conuentione recipi possunt.
- 6 Depositum cum facultate utendi eo, sit mutuum.
- 7 Interesse lucri cessantis, vel damni emergentis peti potest.
- 8 Societas licita vt sit, tria sunt necessaria, & quam ea sint.
- 9 Societas, vt viduae certum lucrum accipere valeant, ut contrahi possit.
- 10 Mutuus sub usuris, nulla lege amittit, quod mutuat.
- 11 Mandatarius pecunias suas pro mandante impendens, licite cambium capit.
- 12 Deponens scuta aurea, & postea illa mutuatim repetens, qua ratione aliquid plus accipere possit.
- 13 Oeconomus aliquid plus pro scutis aureis accipiens illud suum facit.

14 Societas, in qua industriam ponens dimidium quoque periculi pecunia subit, & dimidium lucri percipit, est iniusta.

15 Societas centum ouium, vt eas dans intra biennium 18. scuta capiat, iniusta.

16 Lex, qua solutio cambij per sex menses differtur, est iniusta.

17 Societas, ut conferenti pecunias dentur quinque pro centum, illicita.

18 Deponens pecunias in monte Pietatis, qua ratione aliquid plus capere potest.

19 Actio ad centum post biennium soluenda, minoris emi potest.

20 Venditio maiori pretio ob dilatam solutionem iniusta, nisi &c.

21 Venditor quando interesse lucri cessantis iuste petit.

22 Contractus exercitos, qui putantur liciti, bona fide faciens, non peccat.

23 Usura non est capere aliquid ultra id, quod sub periculo datur.

24 Contractus illicitos, seu dubios, qui diu exercuit, quid facere tenetur.

25 Debiti ob solutionem quando aliquid amplius accipere licet.

26 Locatio iniusta est, si pensio sit maior iusto, & aequo, vel a principio soluenda, vel conductor, ad quem non debet obligatur.

27 Societas super officijs Romae, quo iure iustificatur.

28 Pacta in huiusmodi societate, quae licita, & illicita sunt.

29 Periculum perdendi facit contractum, alioquin iniustum, censeri iustum.

30 Socius capitale restituere tenetur, si equus punctus calce socium necauit.

31 Societas super officijs ad rationem 10. vel 12. pro centum, an licita.

32 Emere scuta iusto pretio, ad carius uendendum, non licet.

33 Venditor, ob solutionis dilationem, quando aliquid ultra pretium accipere queat.

34 Mercator uendens carius pretio rigoroso peccat.

35 Venditio maiori pretio dilatata solutione facta, peccatum, & usura est.

36 Societas ouium cum pacto e. c. iniusta, usuraria est.

37 Vendens granum pretio, quo tali me se ualebit, medio debet pretio esse contentus.

38 Mutuus a mutuatario potest etiam ante moram stipulari lucrum verisimile cessans, e. damnum emergens.

39 Cambiorum futurorum interesse, postu. bullam Pij V. non potest certificari.

40 Vendere carius, aut vilius emere, quam res valeat, ob dilatam, vel anticipatam solutionem non licet.

41 Cambia, & recambi, pro secundis nuptijs, an, et qualiter fieri possunt.

DECISIO I.

Ex cons. 1. alias 31.

C Ampfor Romae dans pecunias Lugduni soluendas illi, qui Lugduni non habet agentem, nec numismata, sed rogat campforem, vt ipsemet ad suum correspondentem scribat, vt nomine campfarij cambium soluat, & traiciat: ex quo fit, vt correspondens, praeter propriam personam, duarum personarum vicem gerat, dantis, & accipientis cambium, & respectu accipientis pecunias soluit Lugduni, & traicit, & respectu campforis dantis pecunias remittit, & pro maiori parte in eodem loco campfarius soluit cambium, & modum cambiendi licitum facit: cum cambium per literas iustum sit quatuor concurrentibus, vt habetur ex Nau. in Manual. capit. 17. nume. 289. 290. 295. & 300. nimirum si seruetur aequalitas valoris inter pecuniam datam, & accipiendam per easdem literas: Deinde quod campfor non accipiat plus iusta mercede, seu salario iusto

M pro